ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Quod superioribus diebus scribere non licuerit, Vir illustris, partim aeris inclementia partim adversa valetudo fecere. Nec interea dubito quin parata sint ea, quae pro incomparabili tua humanitate offerre non dedignatus es. Quaeso ne aegre tibi sit audacia huius hominis, qui, quo accuratius respondeat temporum ac magni Principis gloriae, nec non rerum gestarum veritati, comitatis tuae genium toties sollicitare non erubescat. Undique alia atque alia in destinatum opus conferuntur; unum tamen illud deest quod nosti. In tua autem manu est, ut honesto desiderio nostro satisfiat. Ego, quemadmodum in eo opere iam sum, in quo locum sibi vendicat illustre tuum nomen, ita in cuiusvis obsequii fidem aeternum me tibi obstringo. Quod celsissimi Principis liberalitas mihi in me ac alios liberali esse licuerit circa haec potissimum debere intelligimus. Calendae Januariae nomini laborem quam Abrahamo Golnitzio illexere. Verbis exprimi non potest quantopere in oblatis nummis sibi plauserit. Hac enim liberalitate factum est, ne sub initium anni novi esurieret. Admodum metuo ne pro more [illegible] operosae Germanorum gentis ita porro pergat migrari. Ceterum nos quod spectat, nec ea solvimus quae tam illustri victoriae debebantur, et quae accepimus etiamnum debemus. Vale, saeculi tui immortale decus, et me inter clientes tuos habere non dedigneris. Raptim Lugd. Bat. cIↄIↄcxxxviii, Jan. xxviii.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius

Boxhornius, (M. Z.) Trois ltt. en Lat. à C. Huygens, etc. (1638—47).

B. P. L. 1886.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1886
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1790

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1886
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1790